

SECTIO I. EXEGETICA.

§. I.

Ioëlis, Prophetæ gravissimi, vel ipsum nomen Interpreti pio meditandi ansam subministrabit, sive enim veritas cum HIERONYMO *Prolegom. in Malachiam, Dominum DEVM*, sive cum eodem *Prolegom. in Joëlem ἀρχόμενον, incipientem*, sive cum GEORG. FRANCO in *Lex. Sancto p. 511. jurantem seu serio volentem*, re vera nomen suum bene expressit, dum & in nomine Jehovæ ad Judæos est locutus, & *initia donorum* novi Testamenti in effusione Spiritus S. bene *delineavit*, & *seriam voluntatem* Numinis de agenda Pœnitentia populo *annunciavit*. Cujus rei indicium præbet Caput hoc II. in quo non modo *imminentia mala devastationis* describit, a v. 1. ad 12. verum etiam *ad Pœnitentiam cohortatur* v. 12 - 17. ac tandem *populum solatur tum promissione corporaliū beneficiorum* v. 18 - 27. *tum Spiritualium* v. 28 - 32. Ita vero in altero hoc momento versatur, ut & pœnitentiam dicat a *singulis individuis præstandam*. v. 12. 14. & a *congregatione universa* hunc in finem instituenda, nam præscribit officia *omnibus in universum* v. 15. *Senioribus* v. 16. *Puerulis* v. eod. *Sponsis* v. eod. *Sacerdotibus* v. 17. & quod *puerulos* in specie concernit, verba ex v. 16. in fontibus sic fluunt: **וְיִוְנְקוּ שְׂרָיִם וְיִוְנְקוּ שְׂרָיִם** LXX. Interpretes : *Συναγάγετε μηρία θηλάζοντα μασγάς.* VVLG. *Congregate Parvulos & sugentes ubera.*

§. II. *Congregationis ad pœnitentiam instituendæ modum* etiam quoad *infantes* Propheta per τὸ **שָׂרַיִם** exprimit, *cujus significatio Colligendi nota est*, usus vero